

Hic autem observandum superest nos minime definitum velle an vis motricis actio *continuada* esse debeat, an satis sit actio *instantanea* nullo deinde impedimento turbata. Quæstio illa ad æstimandos effectus, quod in physica unice volumus, superflua omnino est, & ad metaphysicam pertinet, strictæque conjuncta est cum disputatione, quam de rerum conservatione in metaphysicis institutionibus tractavimus.

## ARTICULUS II.

### *De principio actionis & reactionis.*

I. **A** *Criam* corporis definire solent plerique physici *vim* quam corpus aliquod in aliud corpus exercet, seu vim qua corpus aliquod corpus premit vel percutit, at talis definitio ipsa re definita obscurior videtur: nos autem omnem ambiguitatem remove-re vel maxime studentes, recordabimur in corpore quod *actu* movetur vel ad motum tendit, nihil aliud clare intelligi nisi ipsam quantitatem motus quam habet, vel quam haberet, sublatis omnibus impedimentis, ac proinde actio corporis per ipsam motus quantitatem dumtaxat sese manifestate intelligitur. Itaque actionis vocabulo nullam aliam notionem subjici volumus nisi ipsam quantitatem motus actu producendam si omnia removerentur impedimenta. Inde autem statim intelligere licet quid sit *reactio*; nihil enim aliud est nisi actio contraria, nempe quantitas motus in corpore agente amissa vel amittenda.